PANEGYRICVS
EMINENTISSIMO CARDINALI, SERENISSIMO DVCI, ARMANDO IOANNI PLESSIACO, RICHELII TOPARCHÆ, PATRI PATRIÆ, CONSECRATVS

A TILEMANNO STELLA BIPONTINO.



PARISIIS,
Apud SEBASTIANVM CRAMOISY, Typographum Regium, viâ Iacobæâ, sub Ciconijs.

M. DC. XXXIV.

CVM PRIVILEGIO REGIS.





ALLOQVIVM AVTHORIS.

M*Iraberis forsan in ipso statim limine*, Cardinalis Eminentissime, *cur de rebus ad Maiestatem Galliæ spectantibus dicere audeam homo extraneus, & gestorũ tuorum summa attingere tentem, rerum ignarus, quas vniuersa stupet, non capit rerum vniuersitas. Scio equidem, existimare de principibus nefas esse, & gloriam tantorum factorum scrinijs chartaceis includere, temeritati proximum. Nam & in vestibulo suo inquirentes repellit obiecta veneratio, & si qui propius adierunt, quod oculis in solem connitentibus euenit, præstricta acie, videndi facultate destituuntur. Absorbet ingenium celsitudo, & lumina tenebris ac longo studiorum situ vix conniuentia, obfuscat Eminentiæ principalis fulgor. Huic accedit difficultati lector populus,*


cui, cum difficile sit pro amore, quo in te præditus est, de te satisfieri: tum difficilius pro ingenita orandi imperitia, peritis non esse ludibrio: præsertim cum constet, nullam Eloquentiam nec optari, nec concipi posse, quæ dignam afferat aut tempori gratiam, aut materiæ copiam, aut meritis tuis facultatem. Enimuero Diuis fruge quoque plebes supplicant, quæ carent victimis: & mola tantum salsa litant, qui non habent thura: nec vlli fuit vitio superos colere, quoquo modo posset. Apud cordatos munerum censores pluris habetur animus dantis, quàm dati pretium. Ipse Phœbus, etsi radiorum acumine male feriatorum oculos obtundat: calore tamen & lumine viuifico mortalia cuncta recreat: ita quantam secreta eius rimantibus cladem, tantam miracula eius stupentibus iucunditatem exhibet. Tu Cardinalis Eminentissime, *vt rerum tuarum præcipua de cælo trahis, ita toto vitæ instituto cælestia exprimis. Instar solis obtutus hominum benignus recepias, nec intuentes Eminentiæ fulgor retundit,*

dit, sed ad serenum lumen inuitat. Gesta tua tam vniuersum orbem, quam lux meridiana occupant: nec possunt latere etiam eos, quos latet humanitas. Dabitur ergo venia pia temeritati, si vsurpasse stylo communia, non occupasse videar aliena: licuerit mihi ad ipsos meritorum fontes laudare, quæ barbaræ nationes & longinquæ prouinciæ eminus admirantur. Attamen & peculiari nomine grates tibi debet Germania, quam bello duodecennali exhaustam, tyrannide perpetua confectam, consilijs salutaribus, in vitam & libertatem vindicasti. Vnde, cum mihi patriæ nomine aut indiserti aut ingrati esset fama subeunda, malui eloquentiam desiderari, quam gratitudinem, & temeritatem potius reprehendi, quam silentium. Ita difficultatibus victis, officium debiti præsuli gratiæ placendi, & cum obsequio interpretor audaciam, malui cum impudentia infacundus, quam cum metu videri ingratus. Sane quantum mihi trepidationis affert tua persona, tantum releuat causa dicendi: & quem incutit terrorem Emi-

nentia: tua vicissim excutit benignitas, præsertim cùm tu laudes tuas studio potius tui cultus, quàm suis viribus metiaris: Ego solo splendoris tui incentiuo fretus, materia dicendi inueniar felicior, quam arte. Dabit ergo veniam Clementia tua, si audaciorem facit veritas: & lingua exotica, ideoque omnis assentationis expers, merita tua nominibus suis exprimit. Gratior forsitan erit narratio ex ore Germano, si regio, quæ maximam partem de tuis sensit fauoribus, quamcunque potest, impertiat gratiam laudibus. Tu solem imitatus, qui sæpius per nubila radios proijcit, lucubrationum nostrarum tenebras splendoris tui aura illustra, & oculo, qui cuncta capit, bona mala explorat, benignus admitte. Gesta tua non è pulpito prolata, sed orbi consignata recognosce, & quam non debes scriptorum imperitiæ beneuolentiam, concede gestorum tuorum præconijs. Istud si mihi indigno Eminentia tua indulserit, vt ex hac opella approbationis sacræ testimonium referam,

cedent

cedent virtutibus tuis ſtudia priuata: perpetua mihi erit materia dicendi, qui me probauerit Cardinalis.



PINDARVS PYTHIOR. ODE IX.

ΑΡΕΤΑΙ ΑΙΕΙ ΜΕΓΑΛΑΙ ΠΟΛΥΜΥΘΟΙ.
ΒΑΙΑ Δ'ΕΝ ΜΑΚΡΟΙΣ ΠΟΙΚΙΛΛΕΙΝ,
ΑΚΟΑ ΣΟΦΟΙΣ.

VIRTVTES QVIDEM MAGNÆ AMPLA ORATIONE
INDIGENT: AT PAVCA IN PROLIXIS VARIEGARE
SAPIENTVM RATIO EST.

PANEGYRICVS



PANEGYRICVS
DICATVS
EMINENTISSIMO CARDINALI,
SERENISSIMO DVCI,
ARMANDO IOANNI
PLESSIACO,
RICHELII TOPARCHÆ.



Ntiquiſsima eſt, *Cardinalis Eminentiſſime*, Heroas remunerandi ratio, gratiarum actio: Et Principes benè meritos demerendi modus ſingularis, meritorum admiratio. Cùm enim, nec Magnatum fortuna deſiderat recompenſandi vices, nec clientum copia ſuggerit reſtituendi facultatem, verbis potius peragenda eſt munificentia quã factis, & ſentiendo copioſius quam loquendo. Ita priſci victo-

ribus Olympicis; pro exhauſtis ſudoribus hederas& corollas nexiles ſacrabant: ita populi armis imperatorum ſaluati, ineunte anno pro eorum ſalute vota nuncupabant. Nos tuis conſilijs tot rebellionibus expliciti, tot hoſtibus erepti,tot miſerijs ſubleuati,referre maius nihil poſſumus, quam gratias; nihil ſpondere ſolennius, quam præcordia; nihil prolixius admirari,quam genij& ęui tui beatitudinem. Nam ſi olim in vetere Romanorum Republica ad Cenſorum laudem pertinebat, ſi luſtrum felix cecidiſſet, ſi horrea meſsis impleſſet, ſi vindemia redundaſſet, ſi oliueta larga fluxiſſent: quanto magis nos conuenit gratulari de ſeculi tui felicitate,qua vix geminati luſtri ſpatio Galliam opulentia, rem-publicam largitate, regnum gloria ita impleuiſti, vt ab vltima hominum memoria,nec populo major vbertas, nec Regi ſublimior affulſerit Majeſtas. Vt enim non ratione dierum aut menſium, ſed operum

operum multitudine,& rerum geſtarum numero felicitatis tuæ tempora metiamur, plus decennalibus tuis promouiſti imperium,quàm alij vicennalibus ſuis & ſeculis. Ita exiguo tempore, dum addis negotiis,quod otio detrahis,prudentia & ſagacitate præſtitiſti,quòd Rex inuictiſſimus armis & fortitudine perfecit: Ita turbata aula concordiam, armis fruſtra quæſitam, conſilijs ſtabilijſti: ſocios & amicos regni, religionis velo iuribus ſuis ſpoliatos, ditionibus reſtituiſti: rebellionis hydram, tot vndique capitibus pullulantem, funditus excidiſti:perfidiæ arcem, tam ſæpe quam vane alijs tentatam, ſolo coæquaſti:coniuratas hoſtium claſſes,portu,inſula,mari excluſas, miraculoſe profligaſti: inacceſſa Alpiũ clauſtra, & naturali munitione ſtupenda,ferro vindice aperuiſti, expugnaſti, conſeruaſti: vrbes fœderatas obſidijs, Principes amicos armis hoſtilibus pene jam oppreſſos, fatis crudelioribus eripuiſti:

turbatores regni, in ſua viſcera ferocientes, moderatione magis quam vindicta in ordinem redegiſti. Ita reſtitutis ſocijs, domitis rebellibus, calcata perfidia, profligatis hoſtibus, liberatis vrbibus, conſeruatis amicis, libertatem omnibus, lætitiam ſingulis, Reipublicæ incolumitatem, regno ſalutem, Regi ſummo authoritatem diuinam conciliaſti. Quæ cum omnes merito mirentur, omnia tamen ſic tranſegiſti, vt ad ſingula vniuerſus orbis obſtupeſcat. Videt nimirum, te præſentia numinis fretum, perpetuum hoſtibus terrorem, amicis fauorem cælitus immittere: ſtupet, nihil à te incæptum, quod non ſimul & perfectum: deficit, quum quantum tota Gallia habet hoſtium, tantum in vna familia aſpicit & triumphorum. Hæc ego vberiori orationis filo expoſiturus, quid dicam, vnde incipiam, aut vbi deſinam, attonitus hæreo. Adeo impedit turba delectum, & quam alij ex rerum inopia, ego ex geſtorum

rum

rum copia patior difficultatem. Eundum scilicet vestigijs virtutis tuæ colligendis per omnem Tarni, Padi, Rheni limitem: Superandæ Alpes, Oceanus transmittendus, penetrandæ nubes, & cœlorum adyta reseranda erunt, vnde felicitatis tuę ratio constat. Facta tua, qui velit omnia complecti, secula sibi optare debet, & innumerabiles annos, & quantam tu mereris ætatem. Quæ cum viribus negata sint humanis, faciam compendium orationis, sed dispendio voluntatis: exponam maxima, vt omittam mediocria. (Quanquam quid à te possit esse mediocre?) Et quod facere magnas vrbes ingressi solemus, vt primum sacras ædes, & dicata numini summo delubra visamus, tum fora, gymnasia & porticus extrinsecus protentas miremur: ita & ego in laudibus tuis enumerandis prius intima virtutum penetralia veneratus, gradum ad gesta tua proferam, quæ in luce orbis constituta ad publicam memo-

riam non priuatim, ſed in commune
conducunt; non parietibus, ſed finibus
vniuerſi clauduntur; non tecto, ſed cœlo
operiuntur. Vt igitur miranda tua paulo
altius repetam, originem humanam,
nam de diuina animæ quis dubitet? du-
xiſti ex ſtirpe antiquiſsima, quæ ex prima
Pictonum nobilitate, iam multa per ſe-
cula, vt ſerie non interrupta, ita laude ac
1213. fama integra, effloreſcit. Reſtituta ſce-
ptro Gallico Pictauia, maiores tui primi
in regum fidem ſe dedere, perpetui in
fide data perſtitere: officiis erga coro-
nam promeriti, vt iterato matrimonio
proſapiæ regiæ infererentur, deſtinata in
regni ſalutem, vt animorum, ita & ſan-
guinis coniunctione. Auus tuus vir ſum-
1551. mæ expectationis, fato acerbiore in flo-
re ætatis abreptus, ſpes ſurgentis fami-
liæ affligere potuiſſet, niſi Auunculi ma-
iores duo, breuitatem vitæ fraternæ, ge-
ſtorum ſuorum magnitudine coæquaſ-
ſent: quorum alter in expeditione Pede-

montana

montana duarum cohortium ductor, Pi-
ctauium sub auspiciis S. Andreani Equi- 1562.
tum magistri expugnauit : alter Turo- 1569.
num præfectus, contra hæreticorum as-
sultus propugnauit. Parens tuus, augu-
stæ memoriæ, perpetuus expeditionum
Henrici III. comes, secretorum con-
scius, ordinum ac fortunarum consors,
Regem Lutetia exactum contra plebis 1589.
furias; Cæsarodunum Turonum regni
afflicti sedem, contra Coniuratorum ar-
ma defendit. Rege per proditionem ne-
fariam occiso, eadem constantia Hen-
ricum IV. prosecutus, prœlio Arcuensi 1590.
& Ivriaco interfuit, obsidioni Parisiensi
immortuus est: paulo ante prætoriæ co-
hortis ductor electus, laborum præmium
aliud non tulit, quam pro salute Regis
mortem oppetere. Merito sane custodia
corporis Augusti credita est ei, qui prin-
cipis amore, corpori fortunisque suis
non pepercerat: & sapienter vitæ prote-
ctor destinatus est regiæ, qui contem-

ptor fuerat ſuæ. Sed fortuna virtutis æmula, virum magnum in ipſo proſperitatis flore abſtulit, vt filium patre maiorem, vtriuſque meritorum mercede cumularet. Enimuero parens, quamuis animam pro ſalute patriæ erogarit, regno
1585. tamen nihil maius contulit, quam quod te filium dedit; qui felicitati & gloriæ Galliarum natus, maiores tuos cum humano genere obſtrinxiſti, quibus pro mortalitate, quam acceperas, immortalitatem reddidiſti, dum familiam illuſtrem, naturæ communi debitam, naturæ legibus exemiſti. Fingat Alexander authorem generis Iouem, vindicet Auguſtus Apollinem: ambitio iſta fabuloſa deos affectantibus, cælum non aperit, ſed occludit: nec numen inter homines aſciſcere poteſt, qui arrogantia humanum ius excedit. Tu parentibus contentus, quos natura dederat, ſupremum ac communem omnium parentem pietate tuum effeciſti, ſacri ordinis dignatione,

tione, genus adoptionis nactus nobilissimum, cuius fastigium in cœlis constat, splendor in terris adoratur. Hæc obiter de maioribus tuis tua de causa: cui quicquid alijs tuorum hactenus vel datum, vel negatum, indulgentia diuina concessit. Nunc aliena omitto, ad merita tua vt veniam, quæ splendore suo omnia priorum gesta præstinguunt. Apprimè enim insulsum reor, remota dilatare, contrahere proxima, & in præteritum mittere diligentiam curiosam, præsentium fulgore obrutum. Vt igitur de te prius, quam de factis tuis dicam, placet sapientum proceribus, qui naturalium momenta causarum subtilius sciscitati, arcanis cœlestibus nobiles curas intulerunt, confusis in eodem cratere spirituum elementis, diuersas exire animorum temperies, & pro materiæ vel exemptione vel infectione, plurimum alias de auro, alias de argento, alias trahere de plumbo. Ita moli corporis sui vel affixas vel solutas,

aut ſublimes in cælis ferri, aut humiles in terris repere. Magnas Heroum animas, naturæ æthereæ compotes, Majeſtati diuinæ proximas, nullis includi vitæ vel fortunæ terminis; ſed ingenij magnitudine & motus perpetuitate, cæleſtia ſpirare, imitari, exprimere. Iſta vtcumque ſeſe habeant, tibi mens contigit mortali contagione prorſus ſecreta, radicitus pura, funditus ſyncera, tota Deo plena, nunquam otioſa, ſemper intenta, & capacitate ſua, quicquid extra vniuerſum patet, abſorbēs. Omnium ſanè motuum interualla ſunt: mortalia cuncta laborem & requiem alternant: ceſſat terra noualibus, mutat annus tempeſtatibus, & ipſe dies noctibus acquieſcit. Anima tua diuina gaudet perpetuo motu, & iugi agitatione ſe vegetat prudentia, & quicquid homines vocamus laborem, tua natura eſt. Vt indefeſſa vertigo cœlum rotat, vt Oceanus æſtibus perennibus reciprocatur, & ſtare Sol neſcit: ita tu continuatis

negotijs

negotijs,& in se quodam orbe redeuntibus semper exerceris; ita gesta gestis, victorias victorijs,merita meritis cumulas; & quasi præterita sint obliterata si desinas, non putas te bene de omnibus meruisse, nisi adhuc merearis. Nec minor est animi tui magnitudo, quã mentis robur. Corpori tuo terminos, facultatibus fines,vitæ metas posuit natura;solertiam & gloriam circumscribere nõ potuit;nec alius tibi terminus est ingenij, quam arbitrij. Nihil ab eo detrahit temporis volubilitas , nihil imminuit angustia loci, nihil aufert, quæ omnia aufert, obliuio. Animus tuus corpore vtens tanquam hospitio , totum orbem velut domum suam habitat, cælos veluti patriam repetit , & transcensis vtrisque, Deo origine sua fruitur. Nec te impediunt temporis diuersi remoræ , neque consilijs obstant præteritorum incerta ,futurorum dubia. Omnia tibi sunt præsentia : præterita cognitione incomparabili coram tibi sistis;

futura infallibili mentis coniectura occupas: ita quod naturæ negatum, in instanti copulas decursa venturis. Adeo de te verissimum patet illud ex priscæ sapientię effatis, Mens vniuersa efficit, dirigit, tuetur: & quo quiuis intellectus acumine roboratior, eo rebus agendis est aptior. Rationis est gubernare, & quantum quisque valet ingenio, tantum habet de imperio. Sed occultiora animi immensi linquo, vt bona ex vultu prominentia attingam. Non frustra enim sapientiæ antistites statuunt, naturam ipsam magnis mentibus domicilia corporum competentia metari, & ex facie hominis, ac decore membrorum colligi posse, quantus illos cœlestis spiritus intrarit habitator. Equidem siue diuinus ille animus pro creatoris arbitrio dignum sortitur hospitium, siue iam infusus fingit habitaculum pro habitu suo, siue aliud ex altero crescit, & cum se paria iunxerunt, vtráque maiora sunt: illud
extra

extra dubium relinquitur, quod inter mentis vigorem & corporis molem, non modo ſubſtantiæ, ſed & ingenij morumque datur conſortium; nec affectionum concordiam naturarum impedit diuerſitas. Hac ergo ratione corpus tuum, animi auguſti templum, mentis excelſæ thronus, ſpiritus immenſi domicilium, quamuis & temperie ſua fluxum, & negotiorum mole oppreſſum, ex onere tamen grauiſsimo emergit, & inſtar palmæ, (quæ jam olim tibi ſe deberi gratulatur,) quo magis premitur, fortius aſſurgit. Cæteris mortalibus, quorum humiliores animæ, & terræ affiniores, cibus & ſomnus membra reſtaurat: tibi, qui prudentia viuis, & otium ducis in negotijs, ſoſpitator animus vires continuas ſufficit. Ac veluti lux nullibi latere poteſt, quin in vicina luminis ſui radios diffundat: ita mens tua miraculis coruſcans, ne quis de illorum veritate dubitaret, diuinitatis ſuæ ſigna pin-

xit in facie. Vt enim omittam vultum ipsum, sereni decoris grauitate renidentem; frontem, qua concinniorem nec Minerua ipsa expetat; genas curis regni, & amore patriæ tinctas: totus corporis habitus obuios in admirationem sui rapit; personam quicunque vident, diligunt, sequuntur oculis, animo tenent, Genio cuidam tutelari adhærere se putantes, cuius tam augusta est forma, quam confessa diuinitas. Sed hæc exteriora censebuntur ijs, qui penitius ęstimarint, quantus mentem istam intrinsecus ornet virtutum thesaurus: quibus lampadis instar præfulgent pietas & prudentia. Creditum hactenus plerisque, pietatem hominis priuati laudem esse: in publicis virtutem summam haberi salutem imperij; Religionem templis, fortitudinem armis, prudentiam consilijs circumscribi. Tu primus nouo exemplo, & principibus tremendo, qui cultum numinis labio tenus profitentur, veram pie-

tatem

tatem primam oſtendiſti eſſe felicitatis anſam, ſanctioréſque effeciſti homines imitatione tuæ venerationis. Ita vix pubertatis annos egreſſus, Deo fatorum arbitro te conſecraſti; & quam iam tum fortunam merebaris, ſacri honoris purpura illuſtriorem reddidiſti. Terris felicitatem illaturus, prius in conſortium cœleſte admiſſus es: & pacem vbique gentium propagaturus, pacis authori & amori te deuouiſti. Hac ratione rerum gerendarum rationes, geſtarum vices, præliorum exitus, & negotiorum tranſitus noſti, antequam agere incipias: priuſquam cum ho ninibus conferas, precibus cum Deo iam tranſegiſti: cui ſic amicus es, vt à te iam impetratum ſit, quod vix optatum ab aliquo; & ductu tuo conſtet perfectum, quod alijs fuerat deſperatum. Victorias animo tenes, nondum commiſſo prælio: & de hoſtibus nedum victis triumphas, ante arma victor deſignatus. Sic eadem magnanimi-

tate ſumma omnia aggrederis, qua horrenda cuncta deſpicis, tam à cælo ſecurus auxilij, quam ab animo certus fidei: Nec ideo tamen rationes humanas negligis, quamuis fauoris ætherei conſcius: nec cauſas inferiores aſpernaris, primæ fiducia ſublimis. Quæ alijs aufert, animos tibi addit religio: Sanctimonia, quæ mentes hominum curis mortalibus abſtrahit, tuam patriæ ac reipublicæ commodis alligat. Ita rara temporum felicitate res alijs hactenus diſſociabiles, ſagacitatem politicam & pietatem religioſam, coniugali vinculo copulaſti; & miro ſanctitatis ac ſolertiæ temperamento, cælos terris propitiaſti, orbem ætheri conciliaſti. Inde prudentia tibi tanta eſt, quanta vix concipitur ab alijs: quam ſtudijs literarum peperiſti, vſu & experientia rerum confirmaſti, magnitudine geſtorum perfeciſti. Hac velut irretorto mentis oculo, præſentia ordinas, futura prouides, præterita emendas. Hac velut

vnica

vnica recti iudicij norma, incerta sagacissime præsentis, dubia perspicacissime euoluis, ambigua certissime coniectas. Nemo te contemplatur instantia acrius, ventura prolixius, captiosa felicius. Eludis inuidiam, vixdum æmulorum animis innatam: extinguis odia, nondum incrementum nacta: machinamenta in regni perniciem adolescentia, in ipso partu suffocas. E contra, eadem felicitate bona cuncta perficis, qua consulis; eadem prouidentia suasa tua dirigit, quæ tribuit: nec magis deest euentibus fortuna, quam consilijs fides. Conatus aliorum fatum decollat, quia vel priuata ambitione officiunt reipublicæ: vel sua vtilitate ducti, patriæ bonum negligunt: vel denique domestici odij pertinacia, in communem exitium stimulantur. Tu ambitionis vacuus, quippe vltra cupita; inuidiæ expers, quippe supra inuidiam; odij ignarus, quippe regni, non tuus; consilia omnia ad publi-

cam ſalutem inſtituis, de priuatis ſtudijs ac odijs tam parum ſollicitus, quam certo de communi rerum incolumitate perſuaſus. Nullis muneribus fortunæ explentur, quorum cupiditates ratio non terminat, ſed incitat: quos ita felicitas ingrata ſubterfluit, vt ſemper pleni ſpei, vacui commodorum, præſentibus careant, dum futura deſiderant. Tu ſtatu honoris contentus, quem meruit virtus, tribuit fatum, priuatas rationes bono publico poſtponis, ſecuritati omnium quietem propriam impendis, & gentilibus commodis rem communem præfers, felicitatem tuorum ſummam ratus patriæ ſalutem. Ita nec cogitatis euentus, nec ſtudijs deficit fauor: quia eadem linea decurrunt prouidentia & fides, eandemque Galliæ maieſtatem deſtinant fata, quam tua conſulunt oracula. Deficiet dicentem tempus, ſi cuncta virtutum tuarum arcana pandere velim, quæ tam late patent, quam, cui proſtant,
rerum

rerum ſeries. Faciam igitur quod pictores ſolent, qui magnarum animarum vultus lineis & coloribus exprimunt; & dotes mentis tuæ immenſas ex geſtis ſuis repræſentabo. Verum hic quoque maior, quam in prioribus difficultas. Namque de iis, quæ animi profundo latent, quocunque modo, infra dignitatem dixeris: ea, quæ omnes oculis vel auribus hauſerunt, quæque orbis vniuerſus loquitur, pro dignitate rerum exponenda ſunt. Sed & hoc conantem obruit geſtorum multitudo, iniciunt tentanti manum tot conſiliis tuis partæ Regi victoriæ, tot exciſi hoſtes, proſtrati perduelles, domiti rebelles, prolati limites, tot reſtitutæ prouinciæ; quæ cum ſingula laudes proprias mereantur, orationis terminos excedunt omnia. Hæc dignè executuro, neceſſum eſſet ire per omnes honores tuos, quos olim virtus dedit, quos proxime fortuna conceſsit, quos adhuc indulgentia diuina meditatur.

Narranda essent merita, quibus singu-
los deuinxisti, ex quo quasi salutare
1585. quoddam generi humano sidus Galliæ
illapsus est. Dicenda pietatis encomia,
quibus nascendi legem prudentia tran-
1607. silijsti, & tempus sacra lege præscriptum
infulatus honoribus occupasti; nec ex-
pectandum ostendisti aut cursum ætatis
in festinatione virtutis, aut numerum an-
norum in maturitate sapientiæ. Percur-
renda deniq; omnia exinde gesta, quibus
paulatim fortunæ gradum ita extulisti,
vt vbique te gloria, quasi vmbra comi-
taretur. Sed hæc priuata obnubilat splen-
dor publicus, & ceu minora præterire
cogit magnitudo rerum, quas pro salute
imperij suscepisti. De hisce igitur mihi
dicturo sermonis huius auspicium erit,
ille felicitatis publicæ dies, qui te arcanis
regni primus admouit. Nam vt diuinis
rebus operaturi, in eam cæli plagam ora
conuertimus, à qua lucis exordium duci-
tur: Sic ego gestorum tuorum maxima
recensurus,

recenſurus, ab eo tempore incipiam, quo virtutis ac fortunæ tuæ lux orbem irradiare cœpit. Magnum quidem eſt ſortis humanæ munus, in lucem ſtatim felicem venire, & ipſa ortus ſui ſublimitate fultum, verticem tenere fortunæ, & quæ ſumma ſunt non extrinſecus ſperare; ſed domi nata habere: at longe maius cenſetur, abs ſe profectum ad maxima peruenire, ex humili caſa niti per ardua; iuga montium petere plano, & ſic emenſis meritorum gradibus ad faſtigium potentiæ aſcendere. Illud multis conceſsit natiuitas; hoc raris indulſit Magnanimitas. Tu *Cardinalis Eminentiſſime*, etiamſi nobilitate originis paucis cederes, decreta tamen fatorum non præoccupaſti, ſed pietate duce, prudentia comite ad culmen honoris penetraſti: nec potuit fortuna felicitati tuæ imputare, quod virtutis fuerat ac fidei. Manifeſta Numinis prouidentia Rex Maximus, æque ac Chriſtianiſsimus, perſpecta mentis tuæ-

leſtis ſagacitate, efficacia, conſtantia, te potiſsimum in partem curarum aſſumpſit, & in ſecretorum conſcientiam aduocauit; hoc ipſo cunctas laudes prudentia tranſgreſſus, quod te omnium mortalium prudentiſsimum, habenis regni admouit. Rapitur profecto ad ſimilitudinem ſui excellens quæque natura, & quam conformitas concordiam ſculpſit in cordibus, amor exprimit in voluntatibus. Vnde enim Principis Optimi Maximi, tam effuſus, tam confiſus in te animus, niſi quod virtutis & fidei viuum te exemplar vidit & ideam? Vnde rurſus tibi tantus in rempublicam amor, vt poſthabitis negotijs familiaribus, totius regni fata ſuſciperes, & oblitus quodammodo tui gentibus viueres: quietem tuam tranquillitati publicæ impenderes, & laboribus curiſque innumeris, otiũ tot vrbibus, nationibus, prouincijs, ac ſolatium conficeres? niſi fauſtus quidam Genius te regni fortunæ

destinasset, & Regis sanctissimi præcordia iunxisset cælorum clementia. Inde reuera factum, vt quæ iam olim debebatur Galliæ felicitas, te gubernaculis admoto iam eruperit: & ex quo tu quasi Deus tutelaris regno affulsisti, prospere omnia, etiam quæ contra opinionem, ceciderint. Certissimum est fauoris cælestis argumentum successus: nec potiore indicio se regna commendant, quam secundo gestorum euentu. Prouidentia regendi comes est consilij ac rationis; felicitatem regiminis præstare à seipso nemo potest. Cœteræ imperij virtutes processu ætatis maturantur: fortitudo viribus accedentibus roboratur, peritia experientia rerum, iustitia cognitione iuris, temperantia morum præceptis ascitur: ipsa denique illa, quæ videtur reliquarum esse moderatrix, prudentia, perspectis omnium ingenijs & exploratis rerum docetur euentis. Solæ cum viuentibus pariter oriuntur fortuna atque

felicitas: Naturalia enim ſunt animorum bona, & præmia fatorum. Quo magis in te fauorem numinis agnoſcere cogimur, qui conſiliis neſcio fideliorибus an felicioribus, tam exiguo tempore tam diutina bella ſedaſti, tam breui mora tot perduelles perdomuiſti, tam celeri manu tot hoſtes profligaſti, tot ſocios ac fœderatos vel afflictos conſeruaſti, vel eiectos reſtituiſti: denique patriam inteſtinis ſeditionibus laſſam, pace æterna beauiſti, bellaque ciuilia ad gentes illa veſania dignas extra omnes Galliæ terminos diſtuliſti. Vtque te imperij propagatorem fatis deſtinatum doceres, primum arroſos regni limites, afflictos Regis fœderatos, mira conſiliorum ſagacitate explicuiſti. Scilicet æmulus Galliæ maieſtatis regnum ipſum Regis fortitudine, tua prudentia fultum, vexare non auſus, nobis bello inteſtino detentis, in ſocios atque confines impetum verterat. Ac vt remotiora linquam,
nuper

nuper Vallem-Telinam, situs & transitus opportunitate ad copulandum imperio Germanico Italicum commodissimam, tum excitatis arcibus validis, tum concitatis factionibus mutuis, ditionibus suis adiecerat, Rhætorum dominio auulserat; Gallorum tuitioni exemerat, Italorum auxilijs præcluserat. Hac igitur de vsurpatione à Principibus Christianis interpellatus, primum fœderibus ac legationibus irritis tempus trahebat, certissima vires aduersariorum eludendi techna: post ad consuetam defensæ religionis larvam confugiens, honesta rebus inhonestè occupatis cedendi via, Vallem-Telinam in Pontificis Maximi sequestraria fiducia deposuit. Sed conditionibus depositi nefariè violatis, Rex Christianissimus multiplicis iniuriæ sensu permotus, profunda hyeme, strenuo duce, valido milite, profligatis hostium copijs, eiectis præsidijs, arces omnes recuperauit, & abrogatis pactis subdolis, Rhæ-

tiæ libertatem, Vallem-Telinam pristino dominio reddidit. Hispani armis inferiores ad solitas artes recurrere, querelas de defensis à Rege Hæreticis, oppressis Catholicis serere, denique Pontifici legationem ad sistenda arma Gallica extorquere. Qua Rex Christianissimus rebus, honoribus ac socijs suis parum consultum videns, procerum regni conuentum indixit, vbi misso in deliberationem negotio, tu *Cardinalis Eminentissime*, mira ingenij solertia, & oris facundia sequestrationem omnem reijciendam persuasisti.
" *Præstare equidem quietem armis, sed pa-*
" *cem Regi turpem, Rhætis miseram, bello*
" *vel ancipiti bene mutari. Iberos in pace*
" *leones, in prælijs ceruos, amicitiam Gallo-*
" *rum rebus secundis expetere, aduersis con-*
" *temnere. Cæteris mortalibus ad vtilitatem*
" *priuatam, Principibus ad famam publi-*
" *cam consilia dirigenda. Vbi de regni ma-*
" *iestate, de fœderatorum libertate, de orbis*



& Italiæ ſecuritate agatur, gloriam imperij «
cunctis difficultatibus præferendam: nec Val- «
lis-Telinæ arces tot ſumptibus, tot ſudoribus «
partas, ficulnea denuo fiducia committendas. «

Aſſenſit ſuaſis tuis Concilium, arriſit fortuna, annuit euentus. Namque eluſis tandem tergiuerſationibus, diſcuſſis dolis, reiectis fraudibus, ex fœdere Monçoniano Vallis-Telina Rhætis reddita, arces ac propugnacula Hiſpanorum diruta, cuncta vtrimque in integrum reſtituta, non minore Regis ſocios ſuos defendentis gloria, quam hoſtis aliena inuadentis ignominia. Diademata geſtare ac faſces magnum eſt & illuſtre: moderari ac tueri maius: cum diſcrimine ſalutis, erepta extorquere hoſti, reddere fœderatis, ac afflicti iuris miſeratione vires ſuorum experiri, morem ac fortunam Regum tam excedit, quam rarum eſt ijs, qui ſceptra ac faſces geſtant. Nec rerum gnaris allegari hic opus, defenſa ſacra contra hæreticos, protecta religio con-

tra oppressores, propulsata vis contra tyrannos. Euangelium enim neminem dominio vel officio suo destituit: humanitatis sacra religio non mutat: principum magistratuumve in subditos iura lex noua non antiquat, nec libertas fidei seruituti naturæ populos eximit. Sed & vera religio non rebellando, sed obsequendo; non sæuitia, sed patientia, non scelere sed probitate defenditur. Longè diuersa sunt carnificina & pietas: nec potest aut æquitas cum rebellione, aut iustitia cum crudelitat[illegible]stere. Atque, liceat modo vera fateri, apud eos, qui alienis ditionibus insidiantur, nunquam deficit sacrorum prætextus: religio candoris [illegible]im ac simplicitatis, nunc perfidiæ & fraudis frequentius est sacramentum: pietatis insignibus pietas fallitur: nec vlla re tam securè mortalibus, quam cultu numinis illuditur. Qua de causa prudentiæ tuæ salutem nostram ac sociorum debemus, qui eadem pietate,

qua

qua Deum ſyncere colis, impietatem religionis larua abſconditam protraxiſti, & tyrannidem profano ſacrorum velo amictam, amicorum ceruicibus depuliſti. Attamen parum erat fœderatis pacem reddidiſſe, patria adhucdum ſeditionibus mutuis vexata: nec proderat bello exteros eripuiſſe, Gallia flammis æſtuante ciuilibus. Ideo poſt ſeruatos ſocios, ſecundas curas ad regni tranquillitatem conuertiſti, & conſilijs piiſſimis inexhauſtam rebellionis ſerpiginem, quæ iam integrum pene ſeculum imperium arroſerat, radicitus extirpaſti. Vt ergo orbi vniuerſo pateat, quam inexplicabili malorum labyrintho Rempublicam explicueris, malè reformatæ religionis acta ab ipſis incunabulis repetam. Graſſante primum per Germaniam hæreſeos contagio, ob vici- 1559.
niam peſtilens aura Galliam quoque afflauit, eo deteriore toxici huius temperamento, quod tanto conatu morum refor-

matio, non fidei deformatio quæri ple-
1561. risque videbatur. Ita itum à proceribus
imperij in consilia, & quæ in ipso partu
suffocanda erat, per disputationes pu-
1564. blicas vires cœpit impietas. Sic & pau-
latim principum factionibus se iungere,
afflictis regni rebus ipsa assurgere, & cla-
de communi quietem suam stabilire au-
1589. sa. Tandem etiam melioribus partibus
sociata, ob præstitam, quam debuerat,
1599. Regibus fidem, publicis edictis confir-
mari meruit, an obtinuit. Toleranda ni-
mirum erat praua ingeniorum opinio,
quando bona imperari non poterat; &
indulgentia emendandæ mentes, quas
authoritas & ratio exasperabant. Atque
vt tutius in fide retinerentur præterito-
rum recordatione diffidentes, concessæ
sunt Heterodoxis vrbes securitatis pu-
blicæ obsides, quas vtpote necessitate
rerum extortas, & dominio regio nulla
præscriptione auferendas, sedatis assue-
tudine mutua furoribus, restituerent.
Hisce

Hisce remedijs pacificata respublica, vsque ad inuidiam hostium floruit, donec sub annis pupillaribus Ludouici Iusti, 1613.
hinc motus Principum, illinc seditiones Hæreticorum regno extremam cladem minarentur. Et iam Gallia prioribus, sed & grauioribus tumultibus se videbat pessumdatam, nisi Rex Christianissimus obtento ætatis priuilegio, ordines imperij solenniter conuocasset. Eo in con- 1614.
uentu proceribus visum, vt publicæ tranquillitatis bono, quæcunque ditiones, quouis titulo à quibusuis hominibus detentæ, Regni sorti vnirentur, Religionisque Catholicæ professio omnibus, vt olim, imperij locis restitueretur: id quod tu iam tum, *Cardinalis Eminentissime*, totius Cleri nomine, æquo omnium stupore ac fauore perorasti. Rex igitur dissi- 1620.
patis principum coniurationibus, post elapsum quod præstituerat tempus, diplomate sacro vrbes suas repoposcit: cunctantibus Hæreticis, & per concilia-

bula sua rem extrahentibus, prompta manu occupauit; vrbes, oppida, arces Benearnensium in fidem publicam recepit, & eiectis vel suppressis factiosis, prædia Catholicis, sacra & dignitates, quibus iam ab annis quinquaginta exuti fuerant, restituit. Tum vero palam erupit Hæreseos rebellio, indicto Rupellæ contra mandatum Regis conuentu, Deus tuam fidem, ausa est hominum profligatorum colluuies, authoritatem summam Principi abrogare, sibi adrogare, Regnum in prouincias describere, prouincijs Senatum, Duces, milites præficere, iussionibus publicis argentum sociis imperare, tributa, vectigalia, portoria regia inuadere, de Regni subditis prædas agere, Catholicos vrbibus eijcere; & quasi hostes esse nondum agnoscerentur, publicè priuatim hostilia cuncta facere. Rex Optimus Maximus certus, armis quicquid ex vtraque parte periret, sibi vni perire; nihilque in bellis ciuilibus

uilibus esse miserius, quam victoriam: omnes clementiæ rationes tentauit, priusquam veniret ad decretorium stylum. Sed fatali peruicacia saniora consilia obtenebrante, tandem ad emendandam per pœnas & supplicia perfidiam vertit. Ita immissæ rebellibus legiones, quum aliquamdiu susque deque omnia rapuissent, quam benignitate non poterant, armis acceptare pacem coegerunt. Antiquitus Domini aduersus profugos seruos dimicaturi, flagra in aciem deferebant; tantaque vis erat conscientiæ, vt ab inermibus verterentur armati, & qui obtulerant mortibus pectora, darent terga verberibus. Ætate nostra visus est Rex vt piissimus ita felicissimus, quasi præeunte Numinis maiestate, perfidiæ cuncta in fugam vertere, flammæ ritu proxima omnia corripere, instar fulminis obuia quæque accendere, premere, dissipare. Ita dictu incredibile, vix ela- 1621.
pso biennij spatio supra centum & quin- 1622.

quaginta ciuitates imperio receptæ,ſex-
centi populi regno redditi ad obſe-
quium, Regi ad gloriam, ſibi ipſis ad ſa-
lutem. Fracta vicenis menſibus deletaq;
pręter Montem Albanum & Rupellam
rebellio, quæ tot annis Galliam pene
colliſerat. Subditis eodem iure & Rege
vtentibus ablata perfidiæ munimenta;
publica Principis fides certiſsimæ ſecu-
ritatis obſes data eſt. Regni negotijs aliò
vocantibus exempti pœnis pauculi, vt
poſtea confectis ex voto rebus grauius
1625. caſtigarentur. Namque vt apud infidos
fieri amat, Rebellionis Principes pacem
ad inſtar belli metuentes, & tranquillita-
tem Regni in ſui perniciem fictam fin-
gentes, ex ſuo ingenio Regium iudica-
bant. Ita repetitis armis terras ac maria
populari, naues regias ex portu & ſta-
tione publica ſuffurari, oppida quædam
diripere: donec à complicibus fidei im-
probati, à legionibus imperij coacti, in-
terceſsione Anglorum & Batauorũ peti-
tam

 194

tam denuo pacem obtinuerunt. Sed pacem infidam, ingratam, incertam: qua non tam concordiæ publicæ commoda, quã belli ciuilis ſemina quærerentur. Huius enim prætextu Sereniſsimus Britanniarũ Rex, quaſi fidei ſponſor & arbiter, 1627. in perfidiæ ſocietatem aſſumptus, & Anglorum gens, ſanctiſsimis fœderibus nobis deuincta, contagione ſceleris abrepta fuit. Quaſi vero opinionis conformitas Regis ſubditos exterorum defenſioni ſubmitteret: aut Religionem ſuam opprimi in Gallia inſtè quererentur, qui noſtram proſcripſerunt ex Anglia. Nihilominus, fatis & hanc tibi lauream deſtinantibus, *Cardinalis Eminentiſſime*, vento aulę inflatus, Santonum littori appulit Britanniæ Archithalaſſus, obſtrictiſque ad flagitij commercium Rupellanis, inſulam Reacenſem claſſe centum triremium, & bis mille tormentorum inuaſit. Propugnaculo S. Martini vix dum extructo, commeatibus certe nondum in-

ſtructo, ſomniabat ſe vel ſolo halitu molimina eius difflaturum; atque ex vndis vnius inſulæ incendium toti continenti paraturum. Sed ſteriles loci arenæ, vela ventis nutantia, mare fluſtris inconſtans; vanæ temeritatis abortum iam à principio præſagierunt. Quippe tua vigilante prudentia, non minus inanis fuit caſtelli obſidio, quam irriſa Ducis præſumptio. Cum enim Rex Chriſtianiſsimus ad Villam-regiam febricula detentus, tibi ſummam rerum commendaſſet, ex tempore arx ſemel atque iterum victu, armis, milite refocillata, tandemque ſubmiſsis legionibus obſidio ſoluta fuit. Hoſtes ingenti clade terra marique profligati, noſtris vindictam, ſuis ignominiam, ventis ludibrium debuere: eodem in vado cladem ſuam experti, in quo ante noſtram ſomniarant. Eiectis Reaco Anglis Rupella ad pœnas repetita, & diſsipatis ſocijs ipſa perfidiæ arx tentata fuit. Rupella tenuitate ſua felicior,

felicior, quam vbertate, dum res in arcto & vires exiguæ, obſequio in Reges ſuos adeo excelluit, vt cum poſt Breti- 1371.
niacam pacificationem ab inſolenti Anglorum dominatu ſe vindicaſſet, cum Carolo V. eius nominis Rege conceptis verbis conuenerit, ne deinceps quacunque de cauſa à ditione Regni alienaretur. Verum vbi paulatim cum opibus creuit ſuperbia, & quaſi indulta ob fidem iura, vrbem à fide principum abſoluiſſent, priuilegijs abuſa ad rebellionem,
primũ Franciſci I. patientiam laceſsiuit, 1542.
clementiam ſenſit. Mox vbi innouatæ
religionis prauitatem amplexa, credendi 1568.
libertatem vertit in licentiam rebellandi, cum fide Eccleſiæ obſequium Regis exuit. Inde Rempublicam in Regno tanta inſolentia conſtituit, vt ſpecie tenus duntaxat Maieſtatem regiam coleret, cæterùm cum diademate æquali prope iure contenderet, belliſque ciuilibus initium, turbatoribus præſidium,

profugis refugium perpetuum præberet.
1572. Hanc ob arrogantiam armis tentata à
Carolo IX. cum acerrimam aliquot
menſium obſidionem præfractioribus
animis ſuſtinuiſſet, florem nobilitatis,
robur exercitus, diuitias fiſci pene exhau-
ſit. Vnde recentibus propugnaculis au-
1599. cta, nouis priuilegijs ab Henrico Magno
inebriata, cum pietate modeſtiam mœ-
nibus exterminauit; & publicè profeſſa
partum ſibi regnum, non ſe regno debe-
1620. ri, crebris coniuratorum conuentibus,
fidei ſocios ad perfidiæ crimen impulit,
Principes exteros pactis nefarijs ad euer-
ſionem imperij inſtigauit, denique mo-
dis omnibus vltrices peruicaciæ pœnas
cœlitùs prouocauit. Tuis conſilijs Ludo-
uicus Iuſtus, longiore patientia exacer-
1628. batus, immanem belluam nouo belli ge-
nere, ſine cæde, ſine ſanguine & puluere
confecit, ciueſque opum abundantia
væcordes inedia ad ſaniorem mentem
reduxit. Rupellæ portum, vnde cum

diuitijs aduenerat petulantia, excitato in eius faucibus aggere ſtupendo ita occluſit, vt omnes commeatus terra marique importandi vias inuias reddiderit. Hac ratione iniectæ Neptuno compedes, vaga elementi natura nauibus fluctuantibus aſtricta fuit: Piratæ ipſi prius æquore freti, tum vallo maris concluſi, pro Oceani annona famem, pro vndarum auxilijs necem ſenſerunt. Abſumptis alimentis, inſtar pecudum gramine paſti homines (ſi tamen homines, quos pertinacia ad id inſaniæ prouexerat) equorum, canum & felium viſcera, quaſi Iouis cerebrum deuorabant; & cum corpus non poſſent cibis, animos exhauſtos vana ſuppetiarum expectatione ſuſtentabant. Verum cum Angli aliquoties ad conſpectum miſerrimæ vrbis fruſtra delati, turpi fuga patriam repetijſſent, tum demum ſentientes cladis reliquiæ, à ſuis ſe procis deluſos, miſsis Oratoribus, quibus præ macie vix trama humanitatis ſu-

pererat, cuius iuſtitiam arroganter prouócauerant, Regis miſericordiam humiliter implorauerunt. Mitioribus conſilijs perſuaſus Ludouicus vbique inuictus, clementia tantum ſua victus, non modo pœnitentibus ſcelerum gratiam fecit, ſed etiam petentibus vitam, libertatem, & ceremonias niue Gallica frigidiores indulſit. Victoriæ licentiam fine obſidionis terminauit, nec gladios in eorum quidem ſanguinem diſtringi paſſus eſt, qui vitæ ſuæ prodigi mortem obſequio eius prætulerant. Quin & præ rabie mori properantes, morti exemit, vt longe maior eſſet indulgentia in deditos, quam fortitudo in hoſtes; & plus impenderetur in conſeruanda vrbe, quam in capienda fuerat laboris. Muros tantum & munimenta arrogantiæ prioris incentiua abſtulit, & ne deinceps ſtolida vallorum ambitione ſuperbirent, ſecuritate publica vallauit. Ita ipſis ciuibus gratiſsima fuit oppugnationis iniuria, &
extincta

 197

extincta bellorum materia, quies æterna vrbi hactenus inquietæ conciliata eſt. Nondum tamen tanta Regis clementia, Rupellanorum complices à ſcelere reuocarat: obſtabat adhuc inſanis mentibus furor, quo minus hinc perniciem ſuam, illinc ſociorum felicitatem agnoſcerent. Adeo clade perduellium non ad pœnitentiam, ſed ad deſperationem verſi, reintegratis conuenticulis nouo perfidiæ ſacramento ſeſe obſtringere, ſuburbia ſua flammis tradere, oppida, caſtella, ciuitates regni diripere; & quaſi ſolis ad ruinam patriæ vire[illegible]ſicerent, occultis negotiationibus Hiſpanos ſemper hoſtes in fœdus euocare. Non tulit diutius audaciam iuſta Regis indignatio, & qui radicem rebellionis exciderat, faciliore Marte palmites aggreſſus eſt. Conſtitutis in tuto Italiæ rebus, legiones Cebennatibus immiſit, & iuga tranſituſque montium hactenus inacceſſos, cum incolis rebellibus obtriuit. Priuates cun-

N

ctarum hactenus ſeditionum principes,
primi quoque vltricem Nemeſin ſen-
ſerunt; & qui flammas belli ciuilis inter
amicos ſparſerant, approbante cœlo
flammis victricibus abſumpti ſunt. Suc-
ceſſere ſtatim Aletes; ſed exemplo tri-
ſtiore moniti, poſt detectas procerum
fraudes, incolumitatem ſuam deditione
vrbis redemerunt. Eorumque imitatio-
ne reliqui Septimaniæ populi, dum Re-
gis malunt ambire clementiam, quam
exaſperare iuſtitiam, quam propugna-
culis ſuis exterminarant, eorundem de-
molitione pac ſupplices recupera-
rũt. Soli Montalbanenſes aliquantulum
diffiſi, mox tui ſolius præſentia emolliti,
feroces ſpiritus poſuerunt: & facta vrbis
deditione, quem iuſtiſsimum metue-
rant hoſtem, benigniſsimum experti
ſunt patronum. Sic terrore in amorem
verſo, exultantium vocibus exceptus,
humeris pene ciuium in vrbem delatus
es; Et quaſi incolæ viderentur obſidere
eum,

eum, à quo obſidione liberati fuerant, omnium hominum, cunctorum ordinum gratulationibus defatigatus es. Nobiliſsimum profectò vincendi genus, quo non homines, ſed vitia ſubacta; ſcelus domitum, victa perfidia, diffidens ſibi audacia metuſque catenata, triumphata hæreſis, ſuperbia atque arrogantia debellata, animarum tyrannis coërcita, & vaga credendi licentia nexu Adamantino conſtricta fuit. Victorias tot populorum, interceſsionibus mitiſsimis ita temperaſti, vt nemo ſibi victus Rege victore videretur. victique infelicitati ſuæ imputarent, quod obſtinatione tantis obſequij bonis ſe priuaſſent. Nullius bona publicata, nullius mulctata libertas, nullius dignitas imminuta: nemo infamia affectus, neque conuitio vel leuiſsimo perſtrictus, culpam capitis aurium ſaltem moleſtia luit. Cuncti domibus ſuis ac liberis, cuncti libertati ac innocentiæ reſtituti ſunt. Indulta petenti-

bus religio tristis, permissa sacra peregrina, & publicis edictis concessum timentibus, ne vlterius timerent. Neque enim æquum videbatur, quorum corpora libera essent, eorum animis compedes iniicere: aut armis veritatem propagare, quæ suadendo infunditur, non cogendo. Sola rebellionis instrumenta ablata sunt, & quæ toties amentium mentes extulerant, propugnacula solo afflicta. Scilicet castellorum omnium tutissimum est Regis clementia, arx inaccessa & immota publica regni tranquillitas: Hoc demum inexpugnabile munimentum est, munimento non indigere. Neque tamen hic tibi constitit laurearum finis, sed potiorum triumphorum principium. Namque eradicatis ex imperio rebellionibus, consilium & prudentiam ad defendendos regni fœderatos cõuertisti. Defuncto nimirum Mantuanorum Duce, Carolus Niuernius, tam successionis iure, quam ordine testamenti

ſtamenti deceſſoris Ducatus exceperat, & eluſis per nuptias filij neptiſque factioſorum technis, à ſubditis ſacramentum acceperat & reddiderat: Sed ea res magnis in Italia turbis anſam præbuit. Namque hinc Hiſpanus frendens tam amplam principi Gallo in Auſonia hæreditatem obtigiſſe, illinc Sabaudus ex neſcio quo pacto Montisferrati ditiones ſibi vendicans, tantum apud Imperatorem Auſtriacum potuere, vt hæredi iuſto prætextibus iniuſtis iura principatus denegarentur, & oblata ſequeſtrationis fiducia legitima poſſeſsio eluderetur. Ab hoc edicto cum Niuernius appellaſſet, coniunctæ hoſtium vires Montisferrati Ducatum inuaſerunt, oppida pleraque diripuere, & ſpoliatis municipijs ipſum Rigomagum grauiſsima obſidione cinxere. Noſtrorum auxilia, dum tranſitum per Alpes, ſuppetias per arma meditantur, partim montium anguſtijs, partim neglectu diſciplinæ aliquoties diſsipata

ſunt, vt gliſcentibus periculis etiam ſub-
1629. ſidij potioris laus augeretur. Igitur trium-
phata contra hoſtium vota Rupella,
Rex non minus gloriæ in defenſis fœ-
deratis, quam in oppreſsis rebellibus col-
locatum videns, hyeme ſæuiſsima, cum
algor glaciem, glacies niuem premeret,
per ſtupenda Alpium ſaxa, & duriorem
ſaxis niuium denſitatem, Te ductore, le-
giones Sabaudiæ immiſit. Hoſtibus re-
pentino noſtrorum aduentu obſtupefa-
ctis, & tergiuerſationibus iniquiſsimis
tempus extrahentibus, cohortes inimi-
cas tranſitum prohibentes diſiecit; ca-
ſtrum Seguſienſe naturale Italiæ clau-
ſtrum, tam militum virtute, quam ci-
uium deditione, veluti januam belli ef-
fregit. Inde diſsipato Hiſpanorum exer-
citu, profugientibus noctu obſidentium
manipulis, ad Rigomagum vſque in-
offenſam victoriam, ſuppetias, com-
meatus tranſmiſit. Sabaudus ſimulata
ad Seguſionem pace, meritam ditionis
populationem

populationem redemit, donec (vt perfidis nunquam deeſt cauſa violati pacti) paucis poſt menſibus, illinc Auſtriaci occupatis Rhætorum limitibus, exercitus Mantuæ immitterent; hinc Hiſpani Montisferrati regiones noua perfidia inuaderent. Tum ſane rebus Italiæ pene 1630.
deſperatis, Tu *Cardinalis Eminentiſſime*, cum imperio miſſus ad tutandam orbis libertatem, Sabaudum diu fraudulenta pacis optione illudentem, poſtea aperto Marte noſtrorum tranſitus prohibentem, immiſsis vexillariis in ordinem redegiſti, intra ſemeſtre ſpatium omnem Sabaudiæ maximamque Taurinorum partem ſub iugum miſiſti, coniuratas Germaniæ, Hiſpaniæ, Italiæ, & Allobrogum acies ſemel, atque iterum in fugam vertiſti, Caſale Rigomagi fruſtra obſtantibus tot Imperatorum, Regum, Ducum exercitibus, obſidione iterata liberaſti, & commeatu ampliſsimo inſtructum, requie perenni beaviſti. De-

 201

ſata, & iam quaſi dedignata partes, retro ceſſerit, ac caſtra Cæſareorum, iuſtitia ac fortitudine comite, reliquerit. Hactenus reddita orbi pace, Italię libertate, exulibus patria, ſpoliatis patrimonio, dum vnanimi populorum applauſu triumphaturus expectaris, eodem tempore quo Rex Chriſtianiſsimus valetudinis aduerſæ motibus, Tu fortunæ nouercalis inclementia afflatus es. Nimirum victis vbique terrarum hoſtibus, proſtrata perfidia & flagitijs, ipſa ſortis hactenus adulantis inconſtantia erat ſuperanda: & ne geſtorum tuorum præcipua ſibi vindicaret felicitas, cæcus inuidiæ impetus ingenio reſtabat & pietate refringendus. Iam pridem, *Cardinalis Eminentiſſime*, Stygiæ quædam volucres, ne nomen quidem profiteri auſæ, profanis ſuis Myſterijs, Admonitionibus & Quæſtionibus, per tuum latus Regni maieſtatem allatrarant, datam pacem hæreticis, illatum bellum Catholicis, ne-

ctenus, laruati, ſed familiæ Regiæ proceres aſſumerentur. Nimirum parricidiales furiæ, quæ Regem bellis inuictum ſenſerant, commiſsione domus Auguſtæ labefactandum regnum decreuerunt. Accuſationum virulentia ab ijs tibi potiſsimum immiſſa fuit, quos beneficijs & honoribus obrutos ita dementaras, vt omnium mortalium ingratiſsimi, cum opes ſuas tibi rependere non poſſent, debere nollent: & quàm à te Fortunam indigni obtinuerant, indigniùs in tui infortunium conuerterent. Calumnias ab illis ſceleſtiſsimè fabricatas ſuccollarũt, quos dignitatis tuæ auctores tantum non adorabas: Quorum animos à te alienauit, qui aliorum ad te rapuit, virtutis tuæ ſplendor; odijque contra te fuerunt cauſæ, quæ amoris inflammatrices & fidei obſides eſſe debuerant. Crimina in te conficta etſi ipſa rerum geſtarum fide refutare potuiſſes, prætuliſti tamen veritati excuſationis ge-

nus, quod nec æmulus quidem ipſe repelleret. Per tot curas, tot vigilias optime ſtabilitis Imperij rebus, tantorum meritorum mercedem vnicam petijſti, à rebus gerendis miſsionem: pro tot laboribus ſaluti publicæ impenſis otium, pro pace toti regno parta quietem priuatam elegiſti; hoc vno Galliæ querelam prope meritus, quod de deſerendis regni negotijs cogitares. Rex prudentiſſimus aliquamdiu cum pietate erga matrem, & amore erga regnum luctatus, bonum imperij prætulit conatibus paucorum, pacem ſubditorum redemit ſimultatibus domeſticis. Sceptri hæres æque ac Reginæ ſoboles, pijſsimus filius, optimus frater, ſed melior Impera-
1631. tor, noluit te, quamuis frendente inuidia, Reipublicæ vela contrahere, quæ tam felicibus ventis fauore omnium impleueras: nec eo tempore receptui canere, quo patriam ad ſummum felicitatis faſtigium extuleras; aut denique ſecuro in

poſterum

posterum otio torpescere, cum receptis gestorum præmijs maiora meditareris. Non potuisti resistere sacro iubentis imperio; volens nolens Regi optimo maximo paruisti; teque vigilijs ac negotijs regni pristinis reddidisti; summa quidem animi tui innocentia, sed maligniore Galliæ fortuna, quæ salutis communis inuidia, matrem à filio, à Rege fratrem locis separauit, non alienauit animis: cuius Tu *Cardinalis Eminentissime*, tam insons es diuortij, quam certus hactenus fuisti auspex concordiæ. Præstrinxerat æmulis oculos an mentes fortunæ, vt loquebantur, excessus, potentiæ exuperantia, authoritas Regiæ non iam æqualis, sed maior. Deus tuam fidem, quantam inuidiæ nubem excitarat aliquanta meritorum tuorum compensatio: quam malè collocata videbantur Regis sapientissimi beneficia: quam exiguis terminis circumscribebatur beneuolentia Principalis? Gratia ac fauor Regius, cum incognito

confertur, donum eſt; cum experto, retributio meritorum: quorum alter debitor eſt iudicij, alter obnoxius liberalitati. De eo neminem decet conqueri, in quo Princeps non tam liberrima vtitur voluntate, quam prudentiſsimo examine. Nec vero Regis maieſtas exhauritur, cum regni adminiſtratio viris ſagaciſsimis committitur. Nam quamuis Imperator maxima quæque largiatur, ita tamen penes eum remanent omnia, vt ſingula ſolus ſemper obtineat. Vt enim ille, qui vitam vigorémque mortalibus vniuerſis ſuppeditat Phœbus, quo denſiores radios iaculatur, clariore luce coruſcat: & ille, qui cunctas aquas cœlo terriſque præbet Oceanus, ſemper tamen ad margines vſque redundat: ita poteſt Auguſtus imperium, cui velit, committere, non poteſt non habere. Tu ſanè tantum ab hac ambitione abes, vt tuas te rationes ſaluti publicæ antepoſuiſſe, ne ipſa quidem inuidia hactenus calumniari ſit auſa.

ausa. Nihil in te mutauit fortunæ amplitudo, quam vt omnibus prodesse magis & velles, & posses: nec tibi, quod felicitati rarissimum est, aut facilitas authoritatem, aut magnitudo diminuit amorem. Nihilominus inuidentibus patriæ tranquillitatem fatis, detectæ nuper proditionis antesignani, dum merita sibi supplicia metuunt, Principes falli immerentes scæuis consiliis sceleris commercio inuoluere satagerunt: Et capitis culpam cum nisi exilio aufugere non possent, Dominis suis doli nesciis exteros secessus, feram in hostico absentiam, & crudelem cum vastitate patriæ reditum persuaserunt. Nam & ad præsentium cõmendationem bonorum mala decursa reputanda, & vt beneficia tua plenius recognoscantur, præteritorũ tristia enumeranda sunt. Nimirum Dux Aurelianensis hactenus sola credendi facilitate nocens, cum alato Croatorum Hispanorumque agmine, superiora Galliæ po-

populatus, belli impetum ſedemque in Septimaniam tranſtulerat, eiuſque prouinciæ Præſidem ſtrenuiſsimum in factionis conſcientiam aſſumpſerat. Iamque infelix iterum regio, quam non ita pridem bello ciuili explicueras, tam ciuium quam exterorum ferro flammiſque vaſtanda obijciebatur, niſi Rex Chriſtianiſsimus, contra fratrem patriæ amore, inuitus ad arma proſiluiſſet, & quicquid inſtruxerat diuturnæ coniurationis longa molitio, felici congreſsione vno die, vnico prælio, diſsipaſſet. Tuis conſiliis Imperator piiſsimus æque ac feliciſsimus poſt præmiſſas ritè admonitiones, poſt præfixum pœnitentiæ terminum, vbi fruſtra cladem eorum amoliri conatus eſt, qui ſaluti incertæ perniciem certam prætulerant, inſtar fulminis rapto exercitu aduolauit, & fiducia cauſæ fretus legiones factioſis admouit. Et quaſi vrgere ſucceſſus, ac continuare victorias cogeretur, ſine mora rebellio-
nis

nis vbique gliſcentis caliginem profligauit. Miſeros hoſtes & ſua in fata ruentes ad fluuium nactus, vndis celerius in fugam vertit, & capto ſeditioſorum duce, ſeditionem ipſam præfocauit. Vno tibi prælio de ſumma rei decertatum eſt; vnius ſupplicio perduellio extincta: vnius capite Maieſtas vindicata. Pugnam adeo incruentam cœlitus obtinuit, vt crederes non Marte ancipiti depugnatum, ſed ſolas perduellionis pœnas expetitas. Plane ita cuncta ceciderunt, vt non obſeruata vltio, ſed fatis ordinata videretur: nec deſideratum ſupplicium, ſed præcipitatum appareret. Victoriam tam propitio caſtigationis genere moderatus eſt, vt neſcio maiore clementia an iuſtitia, metus ad omnes, pœna ad paucos perueniret. Facta delictorum indulgentia, Princeps aliorum fraudibus quam ſua voluntate nocentior, in gratiam receptus; Dux ſuo potius, quam alieno arbitrio truculentior, condigno

R

ſupplicio exceptus fuit; & quantam in illo ſanguinis nexus clementiam, tantam in iſto iuſtitiæ feruor exhibuit ſeueritatem. Leonem hoſtibus imperterritum, ſed ſuos in greges ferocientem, compeſci Reipublicæ intererat: Audaciam amicis infeſtam præſcindi, ſalus communis poſcebat. Sicut ægra corpora torpentium ſtupore membrorum, reſecata deteriore ſui parte ſanantur, vt imminuta vigeant, quæ exacerbata torquebant: ſic ad euacuandas Regni exulcerati vomicas, rebellantis ſerpiginis caput expungendum erat. Ita exemplo triſti quidem & lugendo, ſed iuſto pariter & neceſſario, ſeditio ſemel acie victa eſt, ſine fine documento; & potentiorum impune rebellandi licentia, malum Galliæ neſcio funeſtius an frequentius, pœna ſingulari funditus extirpatum. Cladem ſuam, quamuis multi pereant, vulgus ignorat: compendium eſt deuincendorum hoſtium, duces ſuſtuliſſe. Extincto factio-

nis

nis principe, exercitus ipse cum odijs coactus est arma deponere, vt multo tutius victoris pietate tegeretur: quique in perniciem nostrorum aduenerant, veniæ salutisque certi ad suos redierunt. Rex post victoriam, benignitate propria victus, vitam victis, quam desperauerant, reddidit; & quorum sanguini pepercerat, instrumenta tantum fundendi sanguinis abstulit. O pulcherrimum triumphum fortitudinis atque clementiæ: cuius enim potentiæ fuerat hostibus arma diripere, eiusdem erat humanitatis, deditos ad sui impunitatem telis exuere. Sibi imputet, quisquis oblato vti noluit beneficio, nec se dignum vita iudicauit, quum per Principem liceret, vt viueret. Tu, quod sufficit conscientiæ tuæ, etiam pro non merentibus intercessisti. Verum ignosce dicto, *Cardinalis Eminentissime*, cum vbiq; omnia possis, hic tamen omnes, vt volebas, seruare non potuisti. Vindicauit te Deus, quamuis inuitum; prote-

xit te Augustus, quamuis nolentem: & amore tui etiam preces pro inimicis factas repudiauit. Sed hæc ego cursim prætereo: video enim te qua pietate es, obliuionem illius victoriæ malle, quam gloriam. Ad eos transeo, qui viciniæ inuidia ditionis suæ magnitudinem æstimant, fortunæ suæ culmen in finitimorum infortuniis collocant, & alternante sortis habitu abutentes, velut vtriusque naturæ animantes, rebus nostris secundis adulantur, aduersis insultant. Lotharingia in Germaniæ & Galliæ confinio sita, dum gemini Imperij splendorem æmulatur, ambitione Augusta, conditione angusta, in pace vtrique se parem & æqualem, in bello alterius arbitram æstimabat. Adeo nunquam vel minimis turbis Gallia concussa fuit, quin gliscentibus tumultuum scintillis Lothareni flammas adderent. Ita nuper eiusditionis Regulus, negata an comperendinata pro Ducatu Barrensi sacramenti fide, egres-
sum

ſum regno Aureliarum Ducem contra
Principis libitum bis terve infido hoſpi-
tio excepit, contra Regis interdictum
ac ſacras Regni leges, occultis nuptiis im-
plicuit, & arma patriæ inferentem infeſtò
milite armauit. Nimirum vt ſecurior eſ-
ſet in regni excidium coniuratio, coniu-
gali fœdere ſancienda erat: vt odijs do-
meſticis Gallia inflammaretur, infauſta
exterorum amicitia erat ambienda: vt
frater à Rege perēni diſsidio ſepararetur,
affinitas paulò ſequior Principi incauto
concilianda fuerat: tam ſecreta flagitij
enormitate, vt per biennium defen-
ſionem nullam, niſi in tenebris & caligi-
ne inuenerit. Verum vbi fraudes & inſi-
dias temporis detexit diuturnitas, Rex 1632.
inopino criminis rumore excitus, cum
exercitu ad vindictam properauit; &
cum prius turbantem Ducem munici-
pijs quibuſdam exuiſſet, iam pactis quo-
que illudentem, arce ac ſede ditionis pri-
uauit. Nanceium Ducatus metropolis 1633.

vixdũ obſidione cincta, iam deditionem cogitauit; Vrbs dudum inuicta, & velut altera Troia triplici vallo, foſſaque & vberrimo commeatu, oppugnationem decennalem minatura, ſed dierum quatuordecim ſpatio recepta, expectationem legionum fefellit. Qui enim ad intercipiendum vallum iam hyberna parabant, æſtiuis nondum abſolutis caſtellum obtinuerunt. Quam rem tua potiſſimum prudentia confectam, nec inuidia ipſa negauerit, & hoſtes conuitiantur magis quã confitentur. Tu nimirum *Cardinalis Eminentiſſime*, Ducem verbis pactiſque lubricum, poſt tot effugia, tot tergiuerſationes, tandem verbis ſtare coëgiſti: & qui toties fidem Regi datam fruſtrauerat, cum munimentis ſuis in Regis fidem reuocaſti. Prudentiſsimè Princeps, ex ingenio nouarum rerum cupidus, Te ſuaſore vrbem ad tempus protectioni Regiæ conſignauit, ne captam in perpetuum perderet: cautè ditionem
noſtrorum

noſtrorum præſidijs & auxilijs credidit, qua abſque ijs iam pridem fuiſſet exutus. Ita dum inuitus defenſionis Regiæ tutelam ambit, regionum ſuarum ſecuritatem meruit. Et hæc quidem tam multa, Tu *Cardinalis Eminentiſſime*, tam breui tempore expediuiſti, vt negotiorum celeritate actorum famam anteuerteris, & qui nondum obſeſſum acceperant Nanceium, iam exaudiuerint captum. Recte profecto germana illa pictorum Poëtarumque commenta victoriam finxere pennatam, quod hominum cum fortuna euntium non curſus eſt, ſed volatus. Tu ſeptidui ſpatio à Matrona ad Moſellam delatus, quaſi præcipitare fata, & occupare meritorum gloriam niтereris, triduanæ lucis intercapedine Lotharingiam totam cum duce & arce in fidem & clientelam Regiam traduxiſti. Vidimus facta, quæ deſperabamus futura: Magnitudo rerum tuarum geſtis aliorum fidem addit, ſed miraculum

detrahit. Finguntur ſtupenda de alijs, de te vera ſunt. Subiugauit Alexander decennij interuallo Aſiæ portionem maximam: debellauit Cæſar Galliam & Britanniam. Barbaræ hæ olim gentes, & non tam hoſtium armis, quam ſua vecordia victi. Tu gemino tantum luſtro Europam partem orbis potentiſsimam, prudentiſsimam, ſplendidiſsimam, fulgore virtutis, & geſtorum magnitudine, adeo perſtrinxiſti, vt Galliam velut vnicam fatorum arbitram, & ſortis humanæ libratricem, vniuerſus orbis admiretur. Ita conſiliis ſagaciſsimis patriam, excluſa hæreſi & rebellione, priſtinæ gloriæ, Italiam confuſis vſurpationibus antiquæ ſecuritati, Germaniam euerſa tyrannide auitæ libertati reſtituiſti; & quaſi publico generis humani bono editus eſſes, mortales vbique afflictos, oppreſſos, diſiectos, monitis ſalutaribus ſubleuaſti. Nam quid ego priuatim de Gallia noſtra dicam, cuius ſplendori purpuram

puram tuam fatis destinatam, clausis vel in totum Homericis oculis patet. Omnium nostrûm somnos tua vigilantia defendit, omnium otium labor tuus solatur, omnium delicias tua industria suppeditat, omnium vacationem tua efficit occupatio. Regnum hactenus à seipso diuisum, & alternantibus principum ac Hæreticorum factionibus fluctuans, asserta Regis Christianissimi Maiestate, & Heterodoxis ad æqualem sortem redactis, adamantinis vinculis stabilijsti. Ærarium tam bellis ciuilibus, quam peculatorum rapinis exhaustum, compressis Reipublicæ spongijs ac pulmonibus repleuisti: & diminutis intercessione pijssima subditorum tributis sectionibusque, ac amputata luxus prodigalitatisque materie, imperio parasti innoxias nullo pauperiore diuitias. Rursus extincto Archithalassi munere onerosissimo, commmunitis ad stuporem oræ Gallicanæ portubus, icto cum Barba-

rorum Regibus fœdere, commercium Galliæ, decessorum negligentia penè collapsum, terra marique restituisti; tantamque populis procurasti annonæ affluentiam, vt nullus vnquam Tagus aut Pactolus largius fluxerit, nullæ Indorum rates opibus fisci æquiparari queant. Ita iunctis per ingenium, quas natura separauerat, regionibus, nouo munificentiæ genere immensa terræ spatia contraxisti, vias hactenus inuias & portus inaccessos reclusisti, itinera terris, litoribus mare, litora mari reddidisti; diuersasque gentes miro commercio ita miscuisti, vt quod genitum esset vsquam, apud omnes natum videretur. Literas ac studia eruditionis, quibus tam reliquos mortales, quam fortunæ amplitudine antecellis, non tam sui neglectu, quam vulgi profanatione obsolefacta, famæ ac splendori pristino reddidisti; exulantem præ diuitiis sapientiam, & loco spoliatam honoribus restituisti, prudentiam pecuniæ

nuper pedissequam, in dignitatis solio collocasti. Amicas virtuti, vitijs inimicas artes in complexu, oculis, auribus habes: præstas enim solus, quæcumque omnes præcipiunt, tantumque eas diligis, quantum ab illis probaris. Hinc est, quod prima gestorum tuorum trophæa Musis consecrasti, & dedicatam sacris studijs Sorbonam, in excelsissima vrbis parte, velut æternum summæ eruditionis ac prudentiæ monumentum instaurasti. Adeo voto & conscientiæ satisfacere non putasti, nisi augustissimum ei, quam in tantum amas sapientiæ templum constituisses; nec patriam ad summum gloriæ fastigium extulisse æstimasti, nisi ei victuræ per literas famæ documentum erexisses. Scilicet prostratis vbique terrarum aduersarijs, dissipatis æmulis, vltimus restabat superandus hostis obliuio: gestaque tua ne temporis volubilitate effluerent, æternitatis fama astringenda erant. Iccirco quam à literis

immortalitatem accepisti, eandem sacris studijs reddidisti: ædemque tot victorijs tuis ac triumphis, si non maiorem certè diuturniorem, ad cœlos penè extulisti. Sane veri principum legati sunt literæ, qui ad secula & posteritatem mittuntur: nec tam armis quam facundia cum breuitate vitæ & futuri temporis immensitate decertandum. Quo magis certi sumus ac securi, gloriam tuam in perpetuum victuram, qui non tantum nouo & inaudito exemplo literas & arma, belli munia & pacis ornamenta; Herculis exuuias & Palladis galeam iunxisti; sed etiam Musas vbique languentes, collatis passim stipendijs & congiarijs refocillasti. Sibi humilitatem, & tenebras suas imputet iacens virtus, quæ non obtulit se probandam; quod conscientiæ tuæ sufficit, honoratus est qui probatus. Sed vereor ne diutius vni aut alteri immorans, reliqua gestorum tuorum deteram. Adeò longum est recensere benefi-

cia

cia tua, quæ in regnum, quæ in vrbem, quæ in ſingulos inexhauſta benignitate redundarunt, ita infinita numero, commodis ingentia, meritis immenſa, vt nunquam obliuione gratiam obductura ſit vel multitudo omnium, vel magnitudo ſingulorum. Separata quæuis occaſionibus diuerſorum temporum prædicari poſſunt: vniuerſa ſemel facta, futura erunt ſempiterna. Viuet cum Sole & Luna virtutum tuarum memoria; vna Richelij obliuio erit, humani generis occaſus. Nunquam poſteritati deerit argumentum de meritis tuis diſſerendi, quamuis eorum famæ atque expectationi nihil iam ſupereſſe videatur in terris. Quod enim Europa excuſſa Iberorum Monarchia, plena libertate fruitur, Regis magnanimitati, tuis conſilijs debet. Quod Italia excluſis potentiorum vſurpationibus alta pace floreſcit, Regis fortitudini, tuis conſilijs debet. Quod Germania expedita Auſtriacorum

violentia, vitam ſpirituſque reſumit, Regis iuſtitiæ, tuis conſiliis debet. Quod Gallia velut ſortis humanæ domina, & orbis Chriſtiani arbitra, momenta pacis bellique pro libitu ponderat, & iuſtitiæ ac potentiæ æquilibrio cuncta moderatur, Regis felicitati, tuis conſilijs debet. Quod ambitio nuper inſatiabilis, & dominatu omnem terram deuoratura, nunc ipſa de ſpe, de imperio ac ſumma rerum periclitatur, Regis æquitati, tuis conſilijs debemus. Quod tot Principes olim exules, tot prouinciæ olim oppreſſæ, ditionibus ac honoribus debitis fruuntur, Regis clementiæ, tuis conſilijs debent. Quod religio centum & amplius iam annis afflicta, proſtrata perfidia vbiq; terrarum triumphat, Regis pietati, tuis cõſilijs debemus. Quod hæreſis rebellioque furoribus ſuis præcipitatæ, ne hiſcere quidem audent, Regis prudentiæ, tuis conſilijs debemus. Quod ſinguli beata pace gaudentes, tranquille viuimus, ſecure

peregrinamur,

peregrinamur, libere agimus, Regis benignitati, tuis conſilijs debemus. Adeo in tua incolumitate omnium noſtrûm ſalus conſiſtit, ex tua fortuna cunctorum fata dependent, ingenio tuo tranquillitatem ſuam vniuerſi referunt. Quare quod vnicum pro tantis beneficijs reddere valemus, pro meritis & factis vota ac voces rependentes precamur, vt ſupremus ille conſiliorum tuorum Deus conſcius & arbiter & fautor, Te patriæ ſuperſtitem Neſtoreos in annos tueatur: vt monita tua ac conatus ſolita felicitate proſperet, vt purpuram non minus virtutibus tuis, quam lumine ſuo ſplendidam, ad perpetuam Galliæ gloriam fortunet. Atque vt acclamationibus olim vſitatis finiam, vt vota omnium vnica voce concludam, Multos annos Imperatori Chriſtianiſsimo; Multos annos Cardinali Eminentiſsimo. Deus te conſeruet Auguſte, Pie, Felix, Triumphator. Deus te conſeruet Antiſtes, Fi-

dissime, Prudentissime, Sospitator. Viuat Ludouicus Iustus, Principum Protector, fœderatorum liberator, Religionis instaurator, æmulorum vindex, Rebellium domitor. Viuat Richelius Galliæ ocellus, Italiæ tutela, Iberiæ terror, Germaniæ salus, orbis stupor; *Viuat, viuat,*

DIXI.





DISTICHON IN CARDINALEM TER MAXIMVM.

Regnum, Orbem, Cœlos, auxit, concuſſit, adegit,
Dux, Phœnix, Præſul, Marte, ſtupore, prece.

ΕΙΣ ΚΑΡΔΙΝΑΛΛΑΡΙΟΝ ΘΡΙΣΜΕΓΙΣΤΟΝ.

Πατρίδα ηὔξανεν πολέμοις, κόσμον τ᾽ ἐπέπληξεν
Θαύμασιν, οὐράνιον δῶμ᾽ αἴωγε λιταῖς.

Idem Hebraicè.

חַשְׁמַן אַדִּיר וְלֹא עֲרְכוֹ :
מַרְבַּת מַמְלָכָה בְּסַיְפוֹ ·
מַפְלֶא הָעוֹלָם בְּדַרְכּוֹ :
מַטָּה שְׁחָקִים בְּשִׂיחוֹ ·

Idem Samariticè.

[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]

Idem Chaldaicè.

רַבִּי מַלְכוּתָא בְקִרְבָא ׃
אַזִּיעַ אַרְעָא בְרוּמְרָא ׃
כְּפַר שְׁמַיָּא בְקוּרְבָא ׃
רֵישָׁא דְצָרְפַת וְחוּמְרָא

Idem Syriacè.

ܪ̈ܒܝ ܡܠܟܘܬܐ ܒܩܪܒܐ܆
ܐܙܝܥ ܐܪܥܐ ܒܪܘܡܐ܆
ܟܦܪ ܫܡܝܐ ܒܩܘܪܒܐ܆
ܪܝܫܐ ܕܨܪܦܬ ܘܚܘܡܪܐ܆

Idem Arabicè.

زَادَ الْمُلْكَ
حَالَ الارض بِبَهْجَةٍ *
صَلَّى اللهَ بِصَلَوَاتِ *
اَلرَّئِيسُ بِرَأْفَةٍ *

SVMMA PRIVILEGII à Christianissimo Rege concessi.



LVDOVICI XIII. Galliæ & Nauarræ Regis auctoritate sancitum est, & patentibus eius literis cautum, Ne quis in regno ipsius, aliisve locis ditioni subiectis, intra decem proximos annos à die perfectæ primæ Impressionis inchoandos ac numerandos, excudat, vendat, excudendum, vendendúmque quouis modo & ratione curet Librum, qui inscribitur, *Panegyricus Eminentissimo Cardinali Duci Richelio, à Tilemanno Stella consecratus*: Præter Sebastianum Cramoisy, Typographum Regium, & [illegible]polam Iuratum Parisiensem; aut illos, quibus ipse [illegible]ncesserit. Prohibitum insuper eadem auctoritate Reg[illegible]bus eius subditis, eundem Librum extra regni sui li[illegible]primendum cur[illegible] vel quempiam vbicúmque fuerit [illegible] agendum in[illegible]ac[illegible]gare, sine consensu dict. [illegible] Cramoi[illegible]ficationis Librorum, aliisque pœnis [illegible]mate contra delinquentes expressis. DATVM P[illegible] 30. Maij 1634.

Sic signatum,

De[illegible]anda

MARPON.

